lubriter consulat: si iustitiam sic teneat, vt misericordiam non relinquat: si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuersum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur atque propagatur Imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Et post alia multa, ex Isidoro: *Princ pes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualeat Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas sua imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum, cœleste regnum proficit, vt qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesia exercere non præualet, ceruicibus superborum potestas principalis imponat, & vt venerationem mereatur, virtutem potestas impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere reddere rationem propter Ecclesiam quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplinæ Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Hæc Patres de his quæ sunt Regum ac Principum erga sanctam Ecclesiam debita iura: reliqua tu videas pro arbitrio.

IESV CHRISTI AN. 830.

GREG. IV. AN. 3.

LVDOVICI 17.

THEOPHILI 1.

I. THEOPH. IMP. PERSEQVITVR CVLTORES SS. IMAG.

ANNO Christi octingentesimo trigesimo, Indictione octaua, Theophilus Imp. conciliatis sibi (vt dictum est) specie iustitiæ omnium animis, ad stabiliendam hæresim Iconoclastarum violentus insurrexit; dum non quemquam tantummodo obuium adortus, sed exquisita arte singulos suo subiectos Imperio indagans, dedit in mandatis Quæstoribus, vt cum tributum capitationis exigerent, pariter de cuiusque fide quęstionem haberent; & quem Orthodoxum inuenissent, is statim in carcerem coniiceretur, pœnas daturus acerbissimas, nisi cultum sacrarum Imaginum publice detestaretur. Est de eiusmodi edicto mentio in Actis *S. Ioannicii* Anachoretæ, insignis meritis & miraculis huius temporis Confessoris, & fortissimi sacrarum Imaginum cultus sub præcedentibus etiam Impp. propugnatoris; qui & eo culminis euectus erat, vt metuerent ipsum iidem Impp. persecutores, vererenturque in eum manus iniicere.

II. CONSPIRATIO IN LVDOV. IMP.

Hoc eodem anno res Francorum maximo fuit in discrimine constitutæ. Ingentes enim in Ludouicum Imp. conspirationes detectæ sunt, exortæ illæ à filiis, atque à subiectis Imperatori Principibus, & sacerdotibus plurimis. Peperit siquidem inuidiam omnibus, præsertim aulicis, quod Bernhardum Hispanum hominem, Hispaniarumque limitum Comitem, tanquam sibi fidissimum, defensionis suæ causa Imperator vocasset in aulam, constituissetque Præfectum cubiculi. Exinde sparsus rumor, creditumque à pluribus, eundem Bernhardum admisceri Iudith Imperatrici. Id quidem cum filiorum quoque animos haud leuiter sauciasset; commouisset vero amplius odium in nouercam, quod natos ex ea Carolum & Rodolphum Imperator maiori videretur amore prosequi: his fomitibus accensus Pipinus Ludouici filius, contra patrem parauit exercitum. Cuius timore percitus Imperator, & Bernhardum à se dimisit, & Iudith Lauduni in monasterio S. Medardi morari præcepit. Sed minime his contenti aduersarij, eductam è monasterio Imperatricem promittere coegere, persuasuram se Imperatori, vt deposito Imperio retruderet se sua sponte in monasterium, idque ipsum se quoque esse facturam. Itaque illa ad Ludouicum sub custodia missa, eundemque allocuta, monasticum sibi velum imposuit; quam Pipinus in monasterium S. Radegundis detrusit: Imperator vero tempus ad deliberandum accepit. Cum interea rediens ex Italia Lotharius Ludouici primogenitus, & Imperij collega, ea quidem quæ iam essent facta probauit, non tamen in patrem quid vlterius peragi passus est: neque rem armis geri, sed iure voluit. Sicque *Conuentum* publicum indici iussit ex ipsius Ludouici sententia *Neomagi*: ad quem & ipse veniret Ludouicus, non armata manu, sed simplici comitatu. Ibi vero cum essent, Lotharius à patre suasus est obedientem se præstare, & ipse Ludouicus pristinam auctoritatem recepit imperandi: qui tamẽ solita vsus benignitate, criminis reis leuibus dumtaxat mulctatis pœnis, omnino pepercit. Hicque finis rerum gestarum præsentis anni; quæ hic summatim perstrictę, in Vita ipsius Ludouici fusius enarrantur.

LIBERATVR A PERSECVTIONE.

IESV CHRISTI AN. 831.

GREG. IV. AN. 4.

LVDOVICI 18.

THEOPHILI 2.

I. AVGVSTA, CVM MATRE, INDISCRIMEN ADDVCTA OB CVLTVM. IMAG.

ANNO Christi octingentesimo trigesimo primo, Indictione nona, Theodora Augusta Theophili Imp. vxor, & mater eius Theoctiste, pientissimæ feminæ, ex Paphlagonum regione ortæ, cum occulto colerent sacras Imagines, delatæ apud eundem Theophilum acerrimum Orthodoxorum persecutorem, in discrimen adductæ sunt: verum nihil eis mali intulit Imperator, quod valde eas ob egregias ipsarum virtutes reuereretur. Hæc pluribus Ioannes Curopalates.

II. a *Amalar. de ord. Antiph. c.38.* AMALARII LEGATIO AD GREG. PP. PRO CEL. ECCLES.

Quo item anno *a* Amalarius Fortunatus, insignis doctrina & pietate vir, Albini olim discipulus, missus est à Ludouico Imp. Romam ad Gregorium Papam, occasione librorum de Ecclesiasticis Officiis, quos idem Amalarius à se compositos misisset ad eundem Imperatorem: Imperator vero ipsum Romam misit, vt quod deesse ad opus videretur, illic addisceret, atque ex Romana Ecclesia Gallicanos Antiphonarios corrigeret, augeretque: quod & ille solertissime adimpleuit, confecto tunc commentario de ordine Antiphonarij. Sed & eodem tempore Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis in restituendo pariter vetere Antiphonario magnopere laborauit: verum ob nimiam suam scrupulositatem, cum præter diuinam Scripturam admittere in sacris Officiis nihil vellet, haud quam putauit consecutus est gloriam.

[Libros de Diuinis Officiis Amalarii Fortunati, de quibus actum præcedenti §. plerique Amalario Archiepiscopo Treuerensi tribuunt. Verum docuit nos eruditissimus Sirmondus, eos esse Amalarii Diaconi, paulo illo iunioris; id diserte testante Ademaro monacho cœnobii Engolismensis in Collectaneis Historiæ suæ, quæ nondum in lucem edita sunt. Ceterum de Cantu Ecclesiastico, & Antiphonario, eiusque antiquissima origine, iam satis dictum sup. an. 60. XII. quibus potes addere Ioan. Steph. Durantum De Ritib. Eccles. lib. 5. cap. 17.]

III. DE TRANSLAT. CORPORIS S. BARTHOL. APOST. *De qua Baron. an. 840. in fi ex Leone Ost. in Chron. Cassin. lib. 1. c. 26.*

Hoc eodem anno Sigebertus tradit, Saracenos Siciliam incursantes etiam Liparim insulam deuastasse, vbi corpus S. Bartholomæi Apostoli quiescebat; quod olim loculo plumbato iniectum, & in mare mersum à Paganis, non ferentibus illud propter nimiam signorum claritatem ab omnibus venerati, ab India in eam insulam vltro delatum fuerat. Cuius ossa modo à Saracenis huc illucque dispersa, à quodam monacho, ipso Apostolo reuelante, collecta Beneuentum translata sunt. Hæc Sigebertus: sed de translatione ex India in Liparim, diuersa diuersorum est narratio; sicuti & de tempore translationis Beneuentum.

IESV CHRISTI AN. 832.

GREG. IV. AN. 5.

LVDOVICI 19.

THEOPHILI 3.

I. PERSECVTIO THEOPHILI IMP. MAGIS GRASSATVR.

ANNO Domini octingentesimo trigesimo secundo, Indictione decima, Theophilus Imp. semel aggressus mouere bellum aduersus sacrarũ Imaginum cultores, quotquot eiusmodi deprehendere potuit, Episcopos, monachos, omnisque generis atque sexus homines, gladio, aut exilio, vel diro carcere multauit: Imagines prorsus, nisi forte ferarũ & auium, pingi prohibuit: earumque pictores sæuissime puniuit: ipsas vero Imagines sacras in forum proiecit, hæreticorumque ludibrio exposuit. Quo tamen tempore reperti sunt plurimi, qui nihil tot malis deterriti, magno illum animo adeuntes, impietatem ac crudelitatem ipsi in faciem exprobrarunt. Sed in his minime omittendum certamen *Lazari* monachi, pingendi arte celebris: quem obsequiis deuincire tentans Imperator, cum omni adulatione superiorem videret, crudelissimis eum tormentis excruciauit, & in carcerem coniecit: cumque recuperata valetudine rursum sacras Imagines depingeret, laminas ferreas ignitas illius palmis iussit admoueri: sed precibus Imperatricis emissus è carcere, in templo Præcursoris occultatus est, atque vt sese habebat plagis male affectus, Præcursoris expressit Imaginem, quæ diu conseruata sanare consueuit ægrotos. Superfuitque Lazarus Imperatori, & sacras Imagines pingere non cessauit. Hæc omnia pluribus Ioannes Curopalates; licet quo potissimum anno gesta fuerint haud notet. In eo namque historico illud desiderari iam superius monuimus, quod quæ enarrat singula singulis non reddiderit annis. Porro quod tam ipse, quam alij plerique auctores asserunt, Theophilum studuisse superare impietate decessores Imperatores; dixerint ista fortasse de his quæ spectant ad cultum sacrarum Imaginum. Verum etsi Iconoclasta fuit, Hagiomachus tamen nequaquam extitit; vtpote qui Sanctos coleret, atque Dei-genitricis ecclesias frequentaret, nouasque etiam erigeret; prout idem Curopalates scribit.

INSIGNIS CONFESSIO MONACHI PICTORIS.

II. Fluctuabãt inter hæc in Occidente res Ludouici Imperatoris; quando Pipinus eius filius rursum alios in patrem cõmouens, ab eo in carcerem est coniectus. Sed cum inde à suis noctu ereptus esset, ipsum pater Regno Aquitaniæ priuauit, quod Carolo puero ex Iudith nato datum est; quamuis res effectum non sit consecuta.

III. SEDES AMABVRGEN. ERECTA IN METROP. POPVLOR. SEPTEMTRION.

Hoc pariter anno idem Ludouicus Imp. habita SYNODO, Amaburgensem ciuitatem Nordanbilgorum, siue Transalbianorum, Metropolim statuit Danorum, Sueonum, Slauorum, & aliorum adiacentium populorum Septemtrionalium: eique præfecit *S. Ansgarium*, eatundem nationum (vt superius dictum est) Apostolum, qui in eadem Synodo primus illius sedis ordinatus est Archiepiscopus. Ea vero omnia postea confirmata sunt à Gregorio Papa: qui insuper Ansgario palliũ misit, insigne plenitudinis potestatis; eundemque, ac successores ipsius, Legatos ac Vicarios Apostolicæ Sedis constituit in omnibus illis gentibus. Hęc quidem vetus Chronographus, Adam *a* nominatus, Canonicus Bremensis, hoc Redemptoris anno gesta ponit: ex quo recentiorem corrigas Crantzium *b*, dum in annum sequentem ea refert. Ceterum cum ista Amaburgensi Ecclesia postea à Nicolao Papa Bremensem vnitam esse, ad sedandam dissensionem, quæ inter eas acciderat, ambo iidem auctores *c* tradunt.

a *Adam. l. 1. c. 17.* b *Crantz. Hist. Sax. lib. 1. c. 20.* c *Ad. lib. 1 cap. 27. Crantz. lib. 1. cap. 8. Ad. Baron. Tom. X. an. 858. XIII.*

IESV CHRISTI AN. 833.

GREG. IV. AN. 6.

LVDOVICI 20.

THEOPHILI 4.

I. ANNO Domini octingentesimo trigesimo tertio, Indictione vndecima, graui rursum turbine quassum est Imperium Occidentale. Quod enim Pipinus à patre Ludouico Imp. priuatus esset Aquitania, quæ Carolo Iudith filio data fuit, magnam sibi Imperator cum odio concitauit inuidiam, non Pipini tantum, sed & aliorum filiorum, Lotharij ac Ludouici: quo factum est, vt ad bellandum pararentur vtrimque exercitus. Cum interea Gregorius Papa, vt pacem inter eos conciliaret, Roma profectus, ad ea quæ prius obuia habuit filiorum castra accessit: vbi diutius commoratus, ideoque in suspicionem apud Ludouicum ductus quod filiis faueret, cum ad ipsum postea accessisset, haud eo est susceptus honore, quo vel ipsemet vel prædecessores Francorum Reges excipere consueuerant Romanos Pontifices. Contestatus autem se non aliam ob causam esse Roma profectum, quam vt pacem conciliaret, ab eodem Ludouico dimissus est ad filios, rem tractaturus cum ipsis. Sed cum nihil ex sententia eueniret, idem re infecta mœrens reuersus est Romam. Hæc quidem ex Vita eiusdem Ludouici: quæ auctor qui Appendice auxit Historiam Aimoini, ex eo totidem verbis apposuit. Cæterum Gregorium Pontificem in huiusmodi dissidiis fauisse potius Ludouico, quam sceleratis filiorum conatibus, satis patebit ex iis quæ inferius suis locis dicentur.

GREG. PP. FRVSTRA LABORAT PRO COMPONENDA PACE INTER LVDOV. IMP. ET FILIOS EIVS.

Post hæc vero recessum, cum maxima pars exercitus Ludouici ad filios defecisset; & ipse quoque eorundem se potestati tradens, ductus est Compendium; ibique pessime habitus tam ab iis, quam ab Ebbone Archiepiscopo Rhemensi harum turbarum incentore, aliisque Episcopis, vel errore admittentibus, vel timore consentientibus. A quibus cum vehementius solicitaretur monasticum habitum induere; id ipse omnino renuens, coactus est tamen in pleno eorundem *Concilio a* ibidem *Compendii* habito, gladium deponere, & cilicio sumpto reum se in multis capitibus de male administrato regno confiteri, atque pœnitentiam publicam suscipere: Imperiumque ipsi adeptum, in Lotharium eius filium translatum est. Quod facinus non solum omnes rerum Gallicarum scriptores merito detestati sunt: sed & ipsum Gregorium Papam eiusmodi Ludouici abrogationis decretum rescidisse, testatur Paulus Æmilius, qui res Francorum est feliciter prosecutus. Omnes vero populos Imperio Francorum subiectos, valde pro Ludouico sollicitos fuisse, statimque de eius restitutione cogitare cœpisse, tradit auctor Vitæ eiusdem Imperatoris.

II. LVDOV. COGITVR SE IMPERIO ABDICARE.

a *Extant huius Compend. Concilii Acta, & capita accusationum Ludouici, ac pœnitentiæ ipsi iniũctæ, in Annal. Franc à Pith. editis: recitatque ea Baron. Tom. IX. hoc an. Sed & de his omnibus plura extant monumenta apud Agobardum Archiep. Lugd. qui vna cum aliis Episcopis sedit iudex aduersus Ludouicum, eumdemque vt deiectatus est, nec non ipsius coniugẽ Iudith Augustam.*

IESV CHRISTI AN. 834.

GREG. IV. AN. 7.

LVDOVICI 21.

THEOPHILI 5.

I. LVDOV. RESTITVITVR IN IMPERIVM

ANNO Domini octingentesimo trigesimo quarto, Indictione duodecima, cum vndique conflati esse scirentur ad liberandum Ludouicum Imp. exercitus, Lotharius se excusans cuncta esse peracta iudicio Episcoporum, relicto patre in monasterio S. Dionysij prope Parisios, Viennam se contulit: Ludouicus autem in Ecclesia S. Dionysij per manus Episcoporum (neque enim aliter pius Imperator,

NEFANDA LOTHARII SCELERA.

ror, licet iniuste depositus, hoc peragi voluit) gladio accinctus est, & in Imperium restitutus, ingenti omnium populorum lætitia, necnon ipsorum elementorum gratulatione, quæ cum per multum tempus acerbissime sæuiissent, tunc pristinam tranquillitatem receperunt. Post hæc autem idem Ludouicus filios suos, aliosque rebelles in gratiam recepit. Sed & cum Lotharius in itinere ciuitatem Cabilonensem, quæ ei aduersabatur, expugnans, cuncta sacra profanaque ferro igneque absumpsisset, vna salua miraculo basilica S. Georgii; omnesque qui patri studuissent occidisset, ac sororem Bernhardi sanctimonialem dolio vinacio inclusam in Ararim fluuium proiecisset: hæc nefanda detestatus Imperator, cum reliquis filiis suis castra aduersus Lotharium mouentes, coegerunt eum supplicem ad patrem accedere; cui ipse, eiusque sectatoribus indulsit. Hæc omnia in Vita eiusdem Ludouici, & apud Theganum, leguntur fusius enarrata. Denique recepisse quoque vxorem suam Iudith, quæ à priuignis in Italiam relegata fuerat, iidem auctores tradunt: id vero auctoritate Pontificis factum, Marianus Scotus asserit.

II. COLLECTA AB HILDVINO MONVMENTA DE S. DIONYS.

His autem peractis, idem Ludouicus tempore Missæ Sancti Martini generalem habuit *Conuentum* in *Attiniaco* palatio, pro restituendo statu Ecclesiastico atque politico pene collapso; missis per singulas ciuitates viris prudentibus, qui id curarent. Quod vero in basilica S. Dionysii contigisset ipsum restitui in Imperium; vt aliquam gratiam tanto Martyri rependeret, eiusdem monasterii Abbati Hilduino mandauit, vt quæ tum ex Græcis tum ex Latinis fontibus de eodem Dionysio scripta reperire posset, in vnum congerens, stylo historico prosequeretur. Extat enim de his eiusdem Ludouici epistola, quæ ab ipso ad quem scripta est, Hilduino præfixa est Areopagiticis *a* suis, ita nominatis lucubrationibus, quas de rebus gestis S. Dionysii Areopagitæ quæ inueniri potuerunt conscripsit. Quo eodem tempore (opera haud dubium eiusdem Hilduini) Michael Syncellus Hierosolymitanus, egregius Confessor, composuit orationem encomiasticam de eodem Dionysio: & Methodius sanctissimus ac doctissimus tunc presbyter, postea Episcopus Constantinopolitanus, insignis item Confessor, multiplicibusque coronis sub Imperatoribus Iconomachis pro defensione sanctarum Imaginum auctus, & sub Leone Papa à Nicephoro Patriarcha Orthodoxo Romam legatus, ideoq; tam in Oriente quam Occidente spectatus, eiusdem Martyris res gestas historice conscripsit. Sed de rebus istis plura dicta sunt in obitu *b* eiusdem S. Martyris.

a *Ext. ap. Sur. 9. Oct.*

b *Sup. ann. 109.*

III. S. METHODIVS VIVVS CLAVDITVR IN SEPVLCH.

Inter hæc in Oriente Theophilus Imp. aduersus Saracenos progressus, ab iis prælio victus est, parumque abfuit quin ab illis caperetur. Qua de re iratus Methodio presbytero Constantinopolitano, cuius modo meminimus, (quem ad bellum secum ducere consueuerat, siue propter eximiam ipsius doctrinam, vt pleraque obscura dissolueret, siue timens ne populum submoueret pro defensione sacratum Imaginum) quod non eius adiutus precibus hostes vicisset; occasione capta ex offensa religione ob cultum idolorum, (sic solitus appellare sacras Imagines) post diram verberum inflictionem, eundem relegatum in quoddam sepulchrum cum duobus latronibus includi iussit; cui tantum cibi à quodam piscatore subministrari iussit, quantum sufficeret ad vitam in illis miseriis trahendam: sicque illic mansit quamdiu Theophilus vixit, vt tradit hæc narrans Ioannes Curopalates: licet Constantinus Manasses & Glycas æque Græci auctores, asserant ipsum viuente adhuc Theophilo ab eodem reuocatum fuisse Constantinopolim, ad quædam soluenda dubia, quæ ipsi inter legendum occurrissent.

IV. DVCENTI MONACHI MARTYRES IN HISP.

Hoc item anno, qui Æra notatur octingentesima septuagesima secunda, in Hispania apud Caradignam ducenti monachi interfecti à Saracenis, consecuti sunt coronam martyrii octauo Idus Augusti, sepultique in claustro eiusdem monasterii; vbi Deus locum, Sanctosque suos iugiter annua die illustrat admirabili signo, vt qua die sunt trucidati, pauimentum claustri appareat sanguineo colore respersum. Porro quamuis ista ex Æræ numero in hunc annum referendi appareant: tamen quod in inscriptione eorundem Martyrum sepulchro apposita legatur, sextam Augusti diem, qua ipsi passi sunt, incidisse in quartam feriam; secundum istam supputationis rationem, nisi mendosa sit inscriptio, omnino dicendum est, id contigisse anno tantummodo Christi octingentesimo septuagesimo secundo, eodemque bissextili, quo literæ Dominicales fuere F.E. ita vt pro numero Æræ reponendus sit numerus annorum Christi. Quod nouissime obseruasse visus est Alfonsus Ciacconus, qui de iisdem Martyribus commentariolum edidit.

IESV CHRISTI AN. 835.

GREG. IV. AN. 8.

LVDOVICI 22.

THEOPH. 6.

I. CONVENTVS VILL. THEOD. DE EPISCOPIS QVI ADVERSVS LVDOV. CONIVRAVERANT.

ANno Domini octingentesimo trigesimo quinto, Indictione decimatertia, in *Theodonis Villa* magnus habitus est *Conuentus* Episcoporum, & aliorum: in quo Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, qui auctor fuerat depositionis Ludouici Imperatoris, suasione Coepiscoporum seipsum iudicans Episcopatu indignum, eo se abdicauit: reliqui vero qui ei consentientes fuissent, se excusauerunt ob necessitatem qua coacti fuerant; quibus venia data est. Condemnatus est autem Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, qui vocatus ad Synodum, vt eiusdem criminis rationem redderet, venire distulisset. De his vero qui in Italiam confugissent, nihil est actum, quod visi essent ad Sedis Apostolicæ iudicium conuolasse. Facta sunt ista ante Quadragesimæ tempus. Sequenti vero Dominica, quæ Quadragesimæ initium præcedebat, Imperator vna cum Episcopis, aliisque qui eidem conuentui intererant, in Metensem ciuitatem aduenit: vbi inter Missarum solemnia, ad plenariam ipsius restitutionem, septem Archiepiscopi septem reconciliationis Ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt. Hæc auctor Vitæ Ludouici.

II. DE THEODVLPHI CARCERE, ET LIBERATIONE, AC SCRIPTIS.

Sed & his ipsis temporibus Theodulphus Abbas Floriacensis, ob eandem coniurationem aduersus Imperatorem Andegaui detentus in carcere, cum poeticæ facultatis literis præ cæteris eius temporis esset excultus, carmen scripsit Ecclesiasticum versibus elegiacis ad diem Palmarum in Ecclesia canendum accommodatum; obseruansque tempus cum Ludouicus illac transiret, è fenestra carceris illud cecinit in aures eius: quo mirifice delectatus Imperator, continuo ipsum iussit è carcere liberari; ac postea prærogatiua non solum ipsius scientiæ, sed & pietatis, eundem ad Episcopatum *a* Aurelianensem promouendum curauit. Scripsit idem Theodulphus plura alia carmina; quorum aliqua adhuc extant, nobilis ingenii monumenta. Legiturque præterea ipsius epistola *b* satis prolixa ad Clerum suæ diœcesis, cum factus fuit Episcopus; qua munus sacerdotale & animarum cura qualis esse debeat, quadraginta sex capitulis egregie insinuat, multa inserens notatu dignissima ad antiquam disciplinam Ecclesiasticam pertinentia. Inter quæ illud maxime notandum, quod quamuis canones matrem, & sororem, atque eiusmodi fœminas in quibus nulla est suspicio, cum presbytero in vna domo habitare concedant; ipse tamen hoc modis omnibus prohibuit, quod (vt ait) in obsequio, siue occasione illarum, veniant aliæ fœminæ extraneæ, quæ eum ad peccandum illicere possint. Est vero & alia eiusdem auctoris epistola *c* carmine scripta è carcere ad Modoinum Episcopum: vbi inter alia de miseriis suis quas iniuste pateretur conquerens, ait, etiam si eas meruisset, tamen ipsius censuram & correctionem ad solum Romanum Pontificem pertinere.

a *Sigeb. in Chron. an. 843. Crant. Hist. Saxon. lib. 1. c. 27. in fi.*

b *Rac. Baro. Ann. Tom. IX. hoc an. ex Bibl. Vatic.*

c *Ap. Canis. antiq. lect. Tom. V.*

III. IOANNES SCELESTIS CONST. EPISC.

Hoc eodem anno mortuo Theodoro impiissimo Patriarcha Constantinopolitano, in locũ eius substitutus est *Ioannes* Sextus huius nominis, Imperatoris Theophili pædagogus, prædecessore longe scelestior; (tales enim meruit Iconocla-

IV. THEODORI AC THEOPH. FRATRVM INSIGNE CERTAMEN PRO CVLTV IMAG.

ſtarum ſecta habere patronos Antiſtites) qui antea eiuſdem Eccleſiæ Syncellus exiſtens, ex magiæ peritia, & peluium diuinationibus ac necromantiis, magnam apud ipſos Imperatores, eliosque hæreticos concitarat ſui exiſtimationem: cuius primordia, ſtupra, aliaque ſcelera deſcribit Ioannes Curopalates, à quo recentiores hiſtorici eadem excerpſere.

Eodem vero tempore inſignes Confeſſores Theodorus ac Theophanes fratres, Palæſtini monachi, quorum ſuperius eſt facta mentio, cum multa iam pro fide paſſi eſſent, ab exilio in quod erecti fuerant, Conſtantinopolim reducti Imperatoris iuſſu, qui magnopere cupiebat eos in partes ſuas allicere; denuo quod nec minis nec blanditiis adduci potuerint, vt Iconoclaſtis communicarent, poſt ſæpius iterata diriſſima verbera, in frontibus inſcriptione affecti ſunt duodecim iamborum, (mirum dictu, tot verſus potuiſſe in hominis exarari vultu!) quibus contineretur eos ob praua ſua facinora ità habitos eſſe: poſt hæc vero iterum in exilium pulſi ſunt Apameam Bithyniæ. Deſcribit hæc pluribus auctor huius temporis, qui glorioſa eorum certamina ſcriptis mandauit: meminerunt que eorundem Ioannes Curopalates, Cedrenus, & alii hiſtorici; addentes inſuper de Michaele Syncello Hieroſolymitano, aliiſque quamplurimis, à Theophilo Imper. ob cultum ſacrarum Imaginum exilio aliiſque pœnis affectis. Quid vero in itinere, dum prædicti fratres in exilium deportarentur, illis acciderit, refert Cedrenus; nimirum incidiſſe illos in eum piſcatorem, cui datam vidimus curam præbẽdi S. Methodio in ſepulchrum incluſo cibum, & cum ab eo de ſtatu Methodii didiciſſent, per eundem in hanc ſententiam ſcripſiſſe ad ipſum:

Qui viuus inter viuos eſſe deſiit,
Vitamq; præbet mortuus, terram incolens,
Polumq; obit, vincto grauati vinculis,
Frontes et ſcribuntq; inſcripti literis.

Ad eos vero eiuſdem piſcatoris opera hæc reſcripſiſſe Methodium:

Quorum libris inſcripta ſunt cœleſtibus
Nomina, piæq; frontes inſcriptæ notis:
Hos qui ſepultus ante funus eſt ſuum,
Vinctos ſalutat, & ipſe vinculis grauis.

V. DE FESTO OMNIVM SS. IN GALL. ET GERM. CELEBRANDO.

Hoc eodem anno Gregorius Romanus Pontifex (vt auctor eſt Sigebertus, & alii) monuit Ludouicum Imp. vt in Gallia atque Germania *Feſtiuitas omnium Sanctorum* Calendis Nouembris celebraretur, quam hactenus Romani ex Bonifacii Papæ inſtituto celebrare conſueuerant. Quod cum ab ipſo Imperatore, tum ab Epiſcopis omnibus Franciæ atque Germaniæ mira conſenſione & gratulatione acceptum fuit. Haud enim ante hæc tempora in iis regionibus eiuſmodi ſolemnitatem celebratam fuiſſe, docent diuerſorum Conciliorum Canones de feriis ſeruandis ſanciti, in quibus de ea nullum prorſus habetur verbum; ſicut nec apud eos qui de Officiis Eccleſiaſticis in hanc diem commentarios conſcripſere. Quapropter quod Albinus, ſiue Alcuinus, eius meminit in libro de diuinis Officiis; eum ad hæc tempora fuiſſe ſuperſtitem, inde videtur poſſe affirmari, quicquid de ipſius obitu antehac dictum fuerit.

IESV CHRISTI AN. 836.

GREG. IV. AN. 9.

LVDOVICI 23.

THEOPH. 7.

I. DEVS PVGNAT PRO LVDOV. DŨ IPSE TVETVR ROM. ECCL.

ANno Domini octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione decima quarta, Lotharius Italiæ Rex in Gregorium Papam infenſus, aduerſus Eccleſię Romanæ populum arma mouit; ſed à Ludouico patre per nuntios acerrime correptus, inuitus quieuit. Quo eodem tempore idem Ludouicus Imp. Northmannos in Friſiam irrumpentes, Britoneſque tumultuantes, nullo negotio fugauit, & compeſcuit. Lues vero ingruens, principes ſeditionis aduerſus eundem Imp. nuper commotæ extinxit. Hæc pluribus auctor eiuſdem temporis, domeſticus Ludouici. Ex quibus etiam videas Deum pugnaſſe pro Ludouico, dum ipſe Romanam Eccleſiam tueretur.

II. CONCIL. AQVISGR. AD ECCL. ET REGN. OPTIME DISPONEND.

Hac eadem Indictione decimaquarta, octauo Idus Februarii, eiuſdem Ludouici admonitione celebrata reperitur SYNODVS AQVISGRANENSIS multorum Epiſcoporum: in qua, inculcata cauſa ex qua tot tantaque mala prouenisſent in regnum Francorum, nempe ex eo quod Reges contra fas in cauſas Eccleſiaſticas proſilirent, & ſacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in ſæcularibus negotiis vltra quam deberent ſe occuparent; actũ eſt de his quæ ad vitam & doctrinam Epiſcoporum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum ſpectant; necnon de iis, quæ ad ipſum Imperatorem, eiuſque filios, atque miniſtros recte diſponẽdos, videri poſſent congrua eſſe. Quæ quidem petita magna ex parte noſcuntur ex Concilio Pariſienſi ante annos ſeptem celebrato; eademque in Capitularibus Regum Francorum inueniuntur eſſe deſcripta. Porro cum hæc Synodus celebrata reperiatur Indictione decimaquarta; inde corrigendi ſunt alii numeri ibidem appoſiti annorum Chriſti, & Imperii Ludouici: nã & auctor domeſticus ipſius Ludouici hoc potiſſimum anno habitam docet. Qua etiam actum tradit de rebus, quas Pipinus Ludouici filius Aquitaniæ Rex multis Eccleſiis abſtuliſſet, eundemque à patre ac Synodo commonitum, cuncta reſtituiſſe.

III. CONVENTVS LVGD. IN CAVSA EPISCOP. VIEN. ET LVGDVN.

Sed & eodem anno apud *Lugdunum* alius *Conuentus* habitus eſt Epiſcoporum, cui & idem Ludouicus vna cum filiis interfuit; excepto Lothario, qui eſt impeditus ea qua hoc anno laborauit infirmitate, ita flagellis à Deo correptus, cum inconceſſa tentaſſet. In hoc porro Conuentu agitata eſt cauſa Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis, paſtoribus tunc carentium, quod Agobardus Lugdunenſis & Bernardus Viennenſis, conſpirationis contra Imperatorem conſcii, facti eſſent extorres. Cæterum Agobardus vocatus reddere rationem, non venit: qui autem affuit Bernardus, diffidens cauſæ fugam iniit. Subſtiterunt tamen Epiſcopi, detrectantes adhuc in abſentes ferre ſententiam.

IV. CVM S. VITI RELIQVIIS TRANSLATA FELICITAS REGNI FRANCOR.

Hoc item anno, quo prima Northmannorum in Gallias irruptio ponitur, facta etiam recenſetur *a* Translatio Reliquiarum *S. Viti* Martyris, Pariſiis (quo fuerant ſub Pipino Rege Roma translatæ) in monaſterium nouæ Corbeiæ, quod haud pridem vidimus in Saxonia ab Imperatore Ludouico, ſuaſione Adelhardi propinqui ſui, erectum ad exemplar Corbeiæ Galliæ. Cum tantum Martyrem Saxones omnes ſuſcipientes in patronum, mira à Deo per eum conſecuti ſunt beneficia; econtra vero poſtquam è Gallia translatus eſt, eadem à ciuilibus vel externis bellis nunquam quieuit: ſicut teſtatus eſt Legatus Caroli Simplicis apud Witichindum. Quanta vero abundantia benedictionis, in miraculorum etiam editione, idem martyr in Saxoniam venerit, atque permanſerit, liber de eius translatione conſcriptus ſignificat. Eiuſdem autem Reliquias rurſum poſt centum annos petente S. Wenceslao Bohemiæ Duce, translatas eſſe Pragam, in Rebus *b* geſtis eiuſdem Wenceslai prolixior habetur oratio. Denique & hoc ipſo anno translatum pariter eſſe ſacrum corpus *S. Liborii* Epiſcopi Cenomanenſis Paderburnam in eadem Saxonia, atque item ingentibus claruiſſe miraculis, traditur in libello *c* ipſius translationis.

a *Ap. Sur.* 15. *Iunii.*

b *Ap. Sur.* 28. *Sept.*

c *Ap. Sur.* 23. *Crãiz. hiſt. Sax. lib.* 1. *c.* 28.

IESV CHRISTI AN. 837.838.

GREG. IV. AN. 10.11.

LVDOVICI 24.25.

THEOPH. 8.9.

I. COMETA APPARITIO.

ANno Chriſti octingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, tẽpore Paſchali Ludouicus Imp.

ingentis

ingentis apparitione cometæ admonitus, tanquam proxime moriturus, orationibus se totum atque eleemosynis dedit: habitoque generali *Conuentu* mense Septembri *Carisiaci*, filium suum Carolum ex Iudith natum Regem Neustriæ coronauit; quam prouinciam antea possederat alius eiusdem Imp. filius iam defunctus, cui pariter nomen fuerat Carolo. Hæc pluribus Astronomus ipse, qui de illo cometa cum Ludouico sermonem habuit, ac res ab eodem Imp. gestas quamfidelissime conscripsit.

II. PARTITIO REGNI FRANCOR. INTER FILIOS LVDOVICI.

Anno vero sequenti, Indictione prima, defuncto Pipino filio Aquitaniæ Rege, eidem Carolo eam tribuit prouinciam; partitoque inter Lotharium & Carolum vniuerso Imperio, tradidit Ludouico Baioariam. Ex qua diuisione rursus obortæ discordiæ, Ludouico indignante, & pro Pipino puero Pipini Regis filio nonnullis insurgentibus nobilibus, eo quod à patris regno videretur esse exclusus. Porro reperitur quoque alias sæpius diuersis occasionibus facta esse ab eodem Imp. regnorum diuisio: vt inter alias ea, quam ex veteribus monimentis Pithœus edidit, facta inter tres filios, Pipinum, Ludouicum, & Carolum; in qua inter cætera diligenter adscriptũ est caput de cura & defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cæteraruṁque Ecclesiarum, maiorum suorum exemplo habenda: quod in omnibus aliis suis diuisionibus æque inculcatum fuisse, dubitari non debet. Cuius quidem hæc sunt verba, iis ferme similia, quæ in eadem causa à Carolo Magno ipsius Ludouici patre, æque regnum suũ tribus filiis diuidente præscripta vidimus *a*: *Superomnia autem* (inquit Ludouicus) *iubemus atque præcipimus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ S. Petri simul suscipiant, sicut quondam à proauo nostro Carolo, & auo nostro Pipino, & beatæ memoriæ genitore nostro Carolo Imperatore, & à nobis postea suscepta est, vt etiam cum Dei adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulauerit, habere faciant. Similiter de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, vt iustitiam suam & honorem habeant, &c.*

DHINSIO RO. ECCL. REGIBVS FRANC. DEBITA.

a Ann. 806. III.

III. b Ap. Sur. 18. Iul. Mart. de SS. Belg. DE MARTYRIO FRIDER. EPIS. TRAIECT.

Quod vero eodem anno Christi octingentesimo trigesimo octauo, *Fridericus* Traiectensis Episcopus consummasse traditur *b* martyrium insidiis Iudith Imperatricis, ob reprehensum illicitum ex consanguinitate ipsius cum Imperatore coniugium; cum in ea narratione valde proscindatur Imperator, laudentur vero qui eius exauctorationis auctores fuerunt Episcopi, multaque etiam haud temporibus cõuenientia coaceruentur: putamus hæc conficta fuisse ab aliquo Ludouici aduersario, aliamque potius cædis sanctissimi Episcopi præcessisse causam: quem quidem scribunt multum laborasse in Walachia contra illicita connubia, & in Frisia contra Arianam perfidiam.

IV. LVPVS ABB. FERRAR. c Lup. Ferrar. ep. 6. 40. 71. RABANVS SE ABDICAT. d id. ep. 40.

Eadem Indictione prima *Lupus* monachus S. Benedicti, Rabani discipulus, vir doctrina & moribus præstans, vocatus in aulam à Iudith Imperatrice, paulo post à Ludouico delectus est in Abbatem cœnobii Bethleem, siue Ferrariensis dicti, sitique in diœcese Senonensi: quod ipse *c* testatur in suis Epistolis. Eodem vero anno quo ipse præfectura monachorum est auctus, eius præceptor *Rabanus* Fuldensis Abbas, abdicans se quietis amore, in Hattonem refudit onus: vt ex eiusdem Lupi ad eundem Rabanum data *d* epistola constat; idque ipsum testantur Francorum Annales veteres. Hac autem requie frui Rabanus permissus est vsque ad annum Domini octingentesimum quadragesimum septimum, quo creatus est Episcopus Moguntinus.

IESV CHRISTI AN. 839.

GREG. IV. AN. 12.

LVDOVICI 26.

THEOPH. 10.

I. ANno Christi octingentesimo trigesimo nono Indictione secunda, Ludouicus Imp. *Cabilonensem Conuentum* habuit; in quo actum est de rebus Ecclesiasticis atque politicis componendis. Fuit vero hic annus bellicis tumultibus turbulentior, cum ipse Imperator aduersus Ludouicum filium rebellantem exercitum mouit, eumque ad spontaneam reconciliationem adegit: sed & Aquitaniam, ob nepotem Pipinum inofficiose præteritum commotam, compescuit.

II. DE APPELLATIONIBVS AD ROM. PONT. a Rec. Baro. Tom. IX. hoc ann. ex cod. Vatic. b 25. q. 1. c. 2. 2. q. 6. c. decreto. 2. q. 7. c. 42. cap. 2. dist. 12. 2. q. 6. c. 14. c. 4. dist. 45. c. 5. dist. 19.

Quod autem & inter Episcopos æmulatione exorta, alter in alterius vindictam intenderet, & inter alios Aldricus Cenomanensis grauem à comprouincialibus Episcopis pateretur persecutionem; Gregorius Papa his cupiens occurrere, aliisque consulere, epistolam scripsit ad Episcopos Galliæ, aliosque vniuersos; qua plura tractans de Romani Pontificis auctoritate & appellationibus ad Sedem Apostolicam, iussit eidem Aldrico licentiam dari eam appellandi, & quousque ab ea iudicatus fuerit, Episcopum permanere. Ex qua quidem epistola (quæ adhuc extat *a* integra) reperitur Gratianus complura retulisse in volumen Decretorum *b*.

IESV CHRISTI AN. 840.

GREG. IV. AN. 13.

LVDOVICI 27.

THEOPH. 11.

I. ANno Christi octingentesimo quadragesimo, Indictione tertia, Ludouicus Imper. postquam in ciuitate Pictauiensi Natale Domini celebrasset, adueniente tempore Quadragesimæ, quod totum solitus erat psalmorum decantatione, orationum instantia, Missarum celebratione, eleemosynarum liberalitate, cum summa deuotione transigere; ad pacem restituendam coactus est in Germaniam properare, quam filius eius Ludouicus iterum rebellans inuaserat, eo quod in diuisione regnorum Carolus natu minimus fuisset ei præpositus. Quare ex incommodis intempestiui itineris morbum contrahens, festis Paschalibus Aquisgrani peractis, cum nihilominus perturbatorem Ecclesiarum eundem Ludouicum filium fugientem persequeretur, in vrbe Vangionum, eademque *Wormatia* dicta, *Conuentum* celebrandum indixit; ad quem & filium Lotharium ab Italia accedere præcepit.

LVDOV. IMP. IN MORBVM INCIDIT.

II. DE EIVS PIISS. OBITV.

Quo tempore tantum Solis deliquium contigit, vt nihil à nocte differre dies videretur. Tunceque vi morbi crescente, secedens in insulam quandam ciuitati Moguntinæ contiguam, peccata sua confessus, per dies quadraginta cibum tantummodo sumpsit Dominicum Corpus; laudans iustitiam Dei ac dicens: *Iustus es Domine. At quia tempus Quadragesimæ non ieiunans exegi, saltem coactus idem ieiunium tibi exoluam.* Postea distributis thesauris suis, Ecclesiis, pauperibus, filiisque, sed & venia delictorum Ludouico filio absenti concessa; ligno S. Crucis pectus suum muniens, in ipso mortis articulo apparentes sibi dæmones fugauit, atque elatis ad cœlũ oculis, lætus ad Deum migrauit duodecimo Calendas Iulii, anno ætatis sexagesimo quarto, Imperii vigesimo septimo: cuius corpus à fratre ipsius Drogone Metensi Episcopo, & sacri Palatii Archicapellano, Caroli Magni filio naturali, quem Ludouicus carissimum habuerat, maxima pompa, & totius Cleri ac Procerum comitatu, in eandem ciuitatem Metensem translatum est, atque in Ecclesia monasterii S. Arnulphi sepultum. Hæc pluribus eius domesticus, qui ipsius res gestas tunc scribebat. Qui autem eidem auctori perperam partiendo singulos annos, Ludouici obitum ponit post biennium, non solum ab ipsius Imperatoris annis vitæ & Imperii redarguitur; sed & ab Adone, aliisque antiquioribus omnibus & recentioribus, qui eum hoc ipso anno defunctum affirmant. Porro successit ei LOTHARIVS filius in Imperium: qui quidem Monarchiæ cupidus, mox aduersus fratres bella mouit; vt dicetur anno sequenti.

LOTHAR. IMPERAT.

IESV CHRISTI AN. 841.

GREG. IV. AN. 14.

LOTHAR. 1.

THEOPH. 12.

I. ANno Christi octingentesimo quadragesimo primo, Indictione quarta, ingrauescente in dies magis Theophili Imp. aduersus Orthodoxos persecutione in Oriente, admirandus ille S. Ioannicius anachoreta de reddenda quam cito Ecclesiæ pace per mortem Theophili diuinum responsum accepit, quo afflictos, iamque omni pene spe destitutos cõsolatus est Fideles. Hæc in Rebus ipsius gestis, ab auctore illius temporis fidelissime conscriptis.

II. PER FATIDICAM THEOPH. IMP. FVTVRA INQVIRIT. Quo eodem tempore, ipse Theophilus Aug. futura curiosius inuestigans, ab anu fatidica ex Agarenis superioribus bellis capta, inter alia accepit, post ipsum successurum in Imperium ipsius filium, qui sacras Imagines restitueret; post illum vero diutius regnaturum Martinatiorum genus. Quare Theophilus Martinatium quendam virum sibi dilectum monachum fieri curauit, suosque horrendis iureiurandis obstrinxit, ne Imagines restitui paterentur. Cum vero post hæc aduersus Saracenos processisset, Persarum proditione ab illis victus, & in vitæ discrimen adductus, vix saluus fuga lapsus est, relictis captiuis multis proceribus, qui martyrium à Saracenis consecuti sunt: quibus cladibus mœrore confectus, in dysenteriæ morbum incidit, eoque sequentis anni principio vitam finiuit. Quæ pluribus narrat Ioannes Curopalates, & alii post eum.

III. BELLVM CIVILE INTER FRANCOS. Eodem anno ciuili bello flagrante Gallia, atque Lothario Imp. Monarchię Francorum cupidine aduersus Ludouicum & Carolum fratres agente, septimo Calendas Iulii inito inter eos acri prælio, cessit victoria fratribus: qui cum antea sæpius crebris legationibus redimere pacem frustra laborassent, ac tandem in ipsum rem dolis agentem armis conserere inuiti compulsi fuissent; hac quoque victoria modestissime sunt vsi. Eo vero vnico prælio idem Carolus, Caluus dictus, relictum sibi à patre Regnum firmiter stabiliuit. qui post hæc Suessionem adueniens, rogatus à monachis cœnobii S. Medardi, nonnulla Sanctorum corpora propriis humeris summa veneratione in nobiliorem Ecclesiam trãstulit. Sed quomodo hæc omnia gesta fuerint, qui interfuit cunctis Nithardus nobilissimus Francus, Caroli Magni nepos ex Berta filia, fidelissime scripsit: quem *a* otiosus lector consulat.

a Nithard. lib. 2. & 3.

IESV CHRISTI AN. 842.

GREG. IV. AN. 15.

LOTHAR. 2.

MICH. III. 1.

I. CONVENTVS AQVISGRAN. PRO REGNI LOTHARII DISPOSITIONE. ANno Christi octingentesimo quadragesimo secundo, Indictione quinta, Lotharius Imp. bellum aduersus fratres renouans, ab illis extra Regnum pulsus est. Ipsi vero Ludouicus & Carolus petentes Aquisgranum (quæ tunc prima sedes erat Regni Francorum,) vt deliberarent quid agendum esset de Lotharii Regno; imprimis rem ad Episcopos, quorum aderat pars maxima, conferre statuerunt, vt illorum consultu, veluti numine diuino, harum rerum auctoritas proderetur. Episcopi autem post multam ea de re deliberationem, eundem Lotharium cum ob multa crimina aduersus Ecclesiam, patrem, fratresque commissa, tum ob alia quamplurima impia facinora, iusto Dei iudicio regno eiectum esse declararunt. Quod cum iisdẽ ipsius fratribus Ludouico & Carolo adiudicare vellẽt, exacto prius ab eis promisso de recta illius administratione, tunc demum, *Et nos*, inquiunt, *auctoritate diuina, vt illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Quæ mox sententia executioni mandata fuit, diuiso inter duos fratres Regno arbitrio virorum ad hoc opus ab illis electorum, quorum vnus fuit ipse Nithardus, iisdem Regibus sanguine propinquus, qui hæc iisdem quæ retulimus verbis narrat.

II. THEOPHILI IMP. OBITVS. Quod ad res pertinet Orientales; cum ob acceptas ab hostibus clades Theophilus Imp. in lethiferum (vt diximus) morbum incidisset, cumque audita morte legati, quem pro auxilio petendo ad Francos miserat, omni spe deiectus grauius opprimeretur; vxore Theodora & filio Michaele Senatui ac Proceribus commendatis, tertio Calendas Februarii diem extremum obiit. Quæ narrans Ioannes Curopalates (à quo alii exceperunt) tradit eundem proxime moriturum, Theophobi de affectatione Imperii calumniis impetiti caput truncari iussisse; ipsumque sibi delatum per capillos tenentem, supremum hoc verbum dixisse, *Neque post hæc ego ero Theophilus, neque tu Theophobus.* Cæterum in ipso fine os eius adeo diductum esse, vt viscera conspicerentur; sed & erroris sui pœnitentem Imaginem sacram adorasse, ac post mortem in Iudicium raptum, precibus vxoris Theodoræ pientissimæ fœminæ, ac sanctissimi Methodii Patriarchæ, aliorumque piorum hominum, misericordiam à Deo consecutum esse; ex antiquioribus monimentis prodidit Gennadius eiusdem longe postea ciuitatis Patriarcha, in expositione pro Concilio Florentino Sessione quinta.

PŒNITENTIA THEOPH. ET VISIO DE EIVS ANIMA.

III. MICHAEL III. IMPERAT, ET IMAGINES RESTITVIT. Post obitum Theophili, filius eius MICHAEL huius nominis Tertius, à natiuitatis loco dictus *Porphyrogenitus*, adhuc admodum adolescens, omnium consensu Imperii sceptra suscepit cum matre *Theodora* Augusta; tutores ac curatores habens ex testamento patris, Manuelem Magistrum militum, & Theoctistum Logothetam Dromi. Quorum consilio, atque opera diuinitus promota, paucos post dies factum est, vt publica disputatione habita de sacrarum Imaginum cultu, rectaque parte superiore existente, edictum statim promulgatum fuerit de earundem restitutione: quo etiam omnes Fideles ab exiliis & carceribus reuocati sunt; qui vero hæresim abiurare noluere, in exilium pulsi. Quorum vno existente impio Ioanne pseudo patriarcha Constantinopolitano; in eius cum ignominia deiecti locum, continuo subrogatus est ingenti Orthodoxorum gaudio sanctissimus Confessor *Methodius* presbyter, doctrina & moribus insignis, de quo superius actum est. Hæc pluribus Ioannes Curopalates, & post eum alii. Sed ista de habita pro restitutione Imaginum disputatione, necnon de hæresis condemnatione, eiectioneque Ioannis, ac subrogatione Methodii, nequaquam perfunctorie facta esse; sed secundũ canones congregatum fuisse *Constantinopoli* CONCILIVM plurimorum vtriusque partis Episcoporum, atque in eo mutante sententiam maxima hæreticorum parte, Nicænam Oecumenicam posteriorem Synodum approbatam esse; tradit Theophanes presbyter temporis huius scriptor, in oratione de S. Nicephoro Patriarcha. Tuncque etiam inter cæteros Orthodoxos Cõfessores ad sedes Episcopales promotos, alium illum Theophanem Theodori fratrem, vultu literis exaratum, de quo superius, eiusdem ciuitatis Nicænæ Bithyniæ factum esse Archiepiscopum, testatur qui eius, fratrisque certamina scripsit, atque alii Græcorum historici.

S. METHODIVS ELIGITVR EPIS. CONST.

IV. HÆRESIS ICONOCL. PENITVS EXTINCTA. Sic igitur hæresis illa, quæ Constantinopoli ante centum viginti annos, è portis inferni magno fastu, auctore Imperatore, potens ac furens in Ecclesiæ damnum eruperat, & repressa sæpius rursum audacius fuerat debacchata; hoc tandem anno penitus extincta est, totoque Orientali Imperio desolatæ Ecclesiæ in pristinum decorem & cultum restitutæ sunt. In ipsa vero vrbe Constantinopolitana, erectio atque restitutio sacrarum Imaginum, solemni ritu, celebrique facta est pompa, conuenientibus Imperatoribus in magnam Ecclesiam vna cum Senatu & sacro Clero, atque venerandorum Ordinibus monachorum, populoque vniuerso, & processionem cum sanctis Imaginibus, & sacris Crucibus, ac diuino Euangelio, facientibus. Statutumque fuit, vt in